

penione damnetur. Verba illa sub pena excommunicationis, & suspensionis, indicant nemine dissentiente censuram ferendam sententiam; ne igitur Innocentius videatur sibi contradixisse, de simili pena intelligenda erunt illa verba excommunicationi subjacent, eò vel magis, quod ista ad laicos referenda respondeant aliis in Clericis referendis suspensione damnetur, quæ expriment censuram ferendam sententiam. Itaque & ante Concilium Lateranense, & in ipso Lateranensi Concilio, & post Lateranense Concilium verbum subjacent non indicavit latam juris sententiam. Cur igitur indicavisse concludetur in dicto can. 29. caus. 17. quæst. 4. Scio, quid nonnulli dixerint ad hanc rem. Observaverunt post illa verba anathematis vinculo subjacent, statim prosequi Lateranenses Antistites: & multis Episcoporum illum præsumat absolvere, &c. Si, inquit, statim Lateranenses Patres de absolutione cogitaverunt, conjectura est, supposuisse eos, reum criminis jam fuisse censura ligatum. Speciosa est hæc conjectura, non tamen tanti momenti, ut perspicue insinuet de sententia lata sanctionem poenalem fuisse conceptam, cum æquè possit reservari Pontifici Maximo absolutio censuræ ab homine ferendæ, ac latæ abs jure. Ad summum dubia videretur in hac parte constitutio; in dubio autem concludi nequit, agi de sententia jure lata. Cæterum hæc disputari quidem possunt in conspectu Lateranensis canonis, seposita consuetudine, quæ aliter canonem illum est interpretata. Nimirum post editum illum canonem passim creditum est, & moribus receptum, ut ipso jure violatores legis anathema incurrerent. Postulabat id atrocitas secleris, præsertim inter adjuncta ubicumque bacchanium Arnaldistarum; idque passim subsequentes Pontifices suis rescriptis confirmaverunt, quorum magna pars habetur sub tit. de sent. excommuni., adeo ut concludere possim, sententiam anathematis in ea parte, qua dicitur

ipso jure infligi, infligi potius ex interpretatione canonis rescriptis Pontificiis confirmata, quam ex vi Lateranensis constitutionis; neque enim interest, an certa lex initio aliquid statuat, an statutum interpretatione quadam & auctoritate publica ulterius extendatur, ut liqueat, quid sit, prout res incidit, judicandum. En autem causam, quare subsequentibus sæculis multæ, uti modo adnotatum est, invecæ sunt exceptiones, ne disciplinæ rigor in interpretatione potius legis, quam in lege ipsa fundamentum habens nimis asper videretur, cessantibus adjunctis, quæ summam suadebant asperitatem, id est cessante furore Arnaldistarum.

Postrema canonis verba indicant absolutionem ab anathemate Pontifici Maximo reservari. Etiam in hoc rigor disciplinæ servandus erat, ubi de Arnaldistis ageretur. Successit interpretatio, qua passim tradebatur, reservationem habere locum, etiam si qui Clericum Monachumque percussisset, non esset addictus sectæ Arnaldistarum. Et quidem initio opportunum erat ita recipi, & rescriptis Pontificiis confirmari, ut unusquisque magis, ac magis averteret se ab Arnaldistis. At postquam horum sectæ prorsus interijt, Pontificiis rescriptis multæ exceptiones adjectæ fuerunt, aut immutata disciplina, aut declarationibus factis ad dubia sæpè emergentia dirimenda. Exceptiones istæ duplicis generis sunt, vel perpetuæ, vel temporales. Perpetua exceptio est in impuberibus, in senibus, in mulieribus alienæ potestati subjectis, & in sanctimonialibus, cap. 1. 6. 13. 33. & 60. de sentent. excommuni., horum enim gratia concessa est Episcopis facultas absolventi ab excommunicatione. Item à Prælati suis absolventur Monachi invicem se percutientes, cap. 2. & 51. eod. tit. quemadmodum & Clerici communem vitam agentes, cap. 9. in fine de vita & honest. Cleric. Adde his ostiarium officio suo insistentem, & sub prætex-

tu

tu sui officii malignantem, uti dicitur in cap. 3. de sentent. excommuni., nisi gravis injuria fuerit; imò & universos, qui levem admodum injuriam intulerint, cap. 17. eod. tit. Temporalis exceptio est, qua interea per Episcopum absolutio indulgetur ex emergente necessaria causa, fide præstita, ut, quum facultas fiat, ad Sedem Apostolicam confugiatur. Non memoro casum mortis instantis, quem exceptum expressè voluerunt Patres Lateranenses in dicto can. 29. tunc enim vel unusquisque Sacerdos poterit indulgentiam sub ea fide impertiri. Tantum dixero, exceptioni locum generaliter fieri, quando tale subest impedimentum, quo quis ad Pontificem Maximum sine gravi salutis, aut vitæ discrimine accedere nequeat, aut alia si-

mili de causa, cap. 6. 11. 13. & 26. de sent. excommuni. De servis nihil adjicere; cum expressum legatur Summi Pontificis rescriptum in cap. 37. eod. tit.

Ex iis, quæ hucusque de dissimilibus sacrilegorum poenis tradita fuerunt, facillè colligitur, sacrilegium jure à Pragmaticis appellari crimen mixti fori, in quo scilicet puniendo & publicorum Magistratum potestas in poenis publicis intelligendis exercetur, & ecclesiastica explicatur jurisdicção, quod ad poenas canonicas attinet, quia reus post exactas canonum poenas, & absolutione obtenta, excipere possit adversus publicos Magistratus, ne legitimis poenis apud ipsos coëctetur, quemadmodum expressè tradidit Bonifacius VIII. in cap. ult. 5. Per hoc quoque de poenis,

CAPUT II.

De Simonia.

Huc referendi sunt tituli 3. 4. & 5. libri 5.

NON interit, utinam autem interisset, cum auctore suo teterima illa lues, quæ à Simone Mago nomen accepit, & quam non disparem esse à sacrilegio tradidit Gregorius Magnus in can. 1. caus. 1. quæst. 3. Irrepit id scelus, ut iterum cum Gregorio loquar in can. 13. caus. 1. quæst. 1., de radice pestifera, atque in ipsa origine sita, Apostolica fuit detestatione clamatum; cum enim Simon Apostolus pecuniam obtulisset, ut facultatem emeret conferendi Spiritum Sanctum, gravissimè objurgatus fuit à Petro his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam dominus Deus existimasti pecuniam possideri.* Actorum cap. 8. Equidem quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis non adeo frequens fuit occasio viris ecclesiasticis, ex qua illud crimen admitterent, proptereaquod Ecclesiæ necdum bonis temporalibus abundarent. Quando verò fi-

delium fuit amplior liberalitas, luxurique, atque avaritiæ locus datus est apud Clericos, sæculo præsertim quinto & sexto, simoniæ crimen plurimorum animos occupavit, unde Gregorius Magnus sæpè, ac sapius debuit simoniacos reprehendere, uti liquet ex variis illius Pontificis monumentis relatis apud Gratianum, præsertim in causa 1. quæst. 1. Detestabilis grassatum fuit vitium illud sæculo decimo, & undecimo; incederent enim homines tunc in obscura tempora, & ferrea, quibus & germana doctrina, & sincera pietas, ac religio in Deum resque divinas visa fuit ab hominibus exulare. Pontifices Maximi, inter cæteros Gregorius VII., Nicolaus II., Alexander II., Innocentius II., & Calixtus II. passim in suis epistolis, ac Conciliis incuraverunt, ut tantis Ecclesiarum incommodis remedium adhiberetur, quorum diligentiam sectati fuerunt

runt plures Ecclesiarum Antistites, adeo ut sæculo undecimo, & duodecimo vix celebratum Concilium adpareat, in quo canones editi non fuerint ad damnandam, detestandamque simoniam. Desinitur autem simonia, studiosa voluntas emendi, vel vendendi res spirituales, aut spiritualibus adnexas.

Fuerunt qui scriberent, ob atrocitatem criminis simoniam hæreseos nomine fuisse in sacris canonibus appellatam, uti in can. 3. 4. 5. 11. 13. 28. caus. 1. quæst. 1., can. 14. caus. 1. quæst. 3., cap. 5. de simonia, atque Simoniacos eam ob causam fuisse inter hæreticos enumeratos ab Isidoro Hispanensi in can. 39. caus. 24. quæst. 3. Illi meo iudicio simoniam cum simonia hæresi perperam confundunt. Siquidem quod spectat ad canonem 39. caus. 24. quæst. 3., ibidem Isidorus recensuisse videtur simoniacos inter hæreticos, non quod sacra emerent, aut venderent, sed quod dicerent, *creatum non à Deo, sed à virtute quam superna creatam*. Quod autem spectat ad cæteros canones, in quibus simonica hæresis memoratur, observo, duo distinguenda esse crimina longè dissita inter se, quorum aliud simoniacam hæresim appellare ritè quis potest, aliud simplicem simoniam. Siquidem simonia vitium sine hæresi propriè dicemus eum admittere, qui pro certo habet, res sacras emi vendite non posse, interea tamen aliud agit, & res sacras pretio emittit, aut vendit, non vitio intellectus, sed voluntatis: At simoniacam hæresim nominabimus, cum quis non tam facit, quam fieri posse putat detestabilem rerum saerarum, aut sacris coherentium mercaturam. Id faciliè intelligit, quicumque considerat, quibus temporibus editi illi canones fuerint, illis videlicet, quibus crimen adeo latè serpebat, ut non tam voluntatem simoniacorum, quam mentis iudicium inficisse videretur. Et sexto, & decimo, & undecimo sæculis erant, qui variis effugiis simo-

niacorum notam evasuri, pallia in simoniam inducebant, quorum magna pars dicebat, se emere, aut vendere non Sacramenta, non professionem religiosam, non ecclesiastica ministeria, & officia, non sepulturam, non res quascumque sacras, aut religiosas, sed aut temporales præbendas ministeriis adnexas, aut jura alimentorum in Collegiis Monachorum, aut Clericorum, pensiones annuas in numerata pecunia consistentes, solum in sepultura, cæmenta in Ecclesiis, oleum in chrismate, & alia hujus generis, quorum ratione dicebant nullum admitti vitium simoniae. Eequis tanquam hæreticas non damnasset hujusmodi opiniones, quibus admissis disciplina ecclesiastica tota corrumpatur, & vix erat, qui simoniam admittere probaretur, utur simoniacus esset; quando vix sacra essent, quibus hæc jura non accederent?

Quando verò vel ipsi Aethnici pialulum censuerunt res divinas, vel sacras humano commercio obnoxias relinqui, l. 6. 22. 23. & 24. ff. de contrahenda emptione, nemo non potest intelligere insignem criminis turpitudinem, quæ triplicem habet causam. Primum adparet in eo, quod corporalis res impari sanè mensura divina rei æquiparetur. Alterum adparet in eo, quod qui potestatem, jusve sacrum pecunia accepta facturus, concessurusve est, dominum se esse credat, quum sit dispensator, qui ex divino mandato audivit: *Gratis accepistis, gratis date*, Matthæi cap. 10. Postremum adparet in eo, quod ita in rebus sacris quis putat se posse versari, ac si profana quæque tractaret. Si hæc sedula meditatione pensentur, statim liquebit, non omnia simoniae crimina esse paria, sed alia aliis graviora; etenim in pluribus concurrunt peraque memorata omnes turpitudines, veluti cum res merè sacræ, puta Sacramenta, venduntur, emuntur, in aliis inveniunt quidem postremæ duæ turpes notæ, non prima, veluti cum venduntur pensiones, ju-

jura alimentorum in Collegiis, & Monasteriis, ac similia.

Multiplex est simoniae species, sive consideretur illa ex parte personarum res sacras aut dantium, aut accipientium, sive consideretur ex parte rei, quæ pretii locum tenet, sive consideretur ex parte rei spiritualis, quæ pretio æstimatur, sive denique consideretur ex parte legis, quæ simoniam prohibet.

Ex parte personarum res sacras vel dantium, vel accipientium alia mentalis à Pragmaticis appellatur, alia realis. Mentalem simoniam dicunt, quando aut adquirere, aut exercere, aut concedere aliis spiritualia quis intendit, præcipue ut temporales obventiones, quæ juri spirituali coherent, lucretur, quin tamen ulla vel expressa, vel tacita conventio interveniat; consistit autem in abusu quodam sacræ potestatis detorta intentione, ita ut qui res sacras suscipit pertractandas, eo animo sit, ut usum earum flectat in commodum temporale. Exempla sunt in iis, qui ad sacros ordines, vel ad beneficia aspirant ea præcipue mente, ut redditus ecclesiasticos percipiant, seu in iis, qui dignitatem sequuntur, honoribus perfruantur, can. 3. dist. 59., can. 7. dist. 61., can. 20. caus. 16. quæst. 7. aut in Clericis præcipue ob beneficiariorum fructuum perceptionem ecclesiastica officia persolventibus, aut in sacerdotibus præcipue ob temporale commodum prædicantibus, aut in iis, qui sine pacto temporalia Ecclesiæ offerant, non pietatis animo, sed ut spiritualia jura, aut etiam temporalia præbendarum commodum consequantur, cap. 34. de simonia; aut, ut alia plura similia omitam, in iis, qui similia spe ducti dona monasteriis conferunt, cap. ult. eod. tit. Sunt jura Ecclesiarum veluti privilegia quædam honoris, certis de Ecclesiis optime meritis viris concessa: sunt præbendales fructus; & similes obventiones, veluti alimenta Clerico debita ad sustentationem necessitatis, quemad-

modum sancti Patres perpetuò locuti sunt. Non sunt tamen, nec esse debent fines, ob quos quis Ecclesiæ ministret, aut in Ecclesiâ liberalis existat, apud eum, qui ordinatè vult agere. Quod si quis pacto interveniente spiritualia concedit, ut temporalia consequatur, vel è converso temporalia accipit, ut spiritualia conferat, tunc simoniam realem admisisse dicitur. Quoniam verò in fraudem & divinæ, & ecclesiasticæ legis improbos homines callidas artes avaritia docet, non solum realis simoniae reos appellabimus illos, qui expressam temporalem lucri factionem inveniunt, sed etiam qui ex conjecturis tacite pactum inivisse deprehendantur. Hinc simonia realis iterum tribuitur in conventionalem expressam, tacitam, & confidentialem. Quod expressa nomine intelligatur, facile constat. Tacitam dicimus conventionem, quando Prælati, ad quem ex. gr. confirmatio electorum pertinet, ita moratur electos, ut differat electionem confirmare de industria, quousque temporale commodum nanciscatur, ut in specie capituli 33. de simonia. Confidentialem simoniam admittit quicumque non sincero animo ad beneficium præsentat, illudve confert, aut resignat, aut accipit, nec ita, ut in recens præsentato, cessionario, & quomodolibet instituto consistat, atque institutus ipse Ecclesiæ deserviat, sed ut alterius gratia beneficium ipsum retrocedatur, aut transferatur, vel beneficiariorum reddituum portio brevi manu donetur. Finge speciem: patronus præsentat Clericum ad beneficium contracta fiducia, ut redditus beneficiarios vel in totum, vel in parte transferat in patronum. Finge aliam speciem: vacat Parochiale beneficium; qui ad illud anhelat, concius virium suarum amicum doctissimum rogat, ut ad concursum accedat, futurum sperans, ut ille cæteris concurrentibus præferatur, contracta fiducia, ut eum idem Parochiale beneficium consecutus fuerit, tum illud beneficium

roganti resignet. Finge aliam speciem: Patronus vacanti beneficio cupit, ut præficiatur amicus, aut cognatus, qui causa ætatis adhuc idoneus est. Præsentat interea extraneum cum eodem contracta fiducia, ut beneficium dimittat, cum amicus, aut cognatus animo designatus idoneus esse coeperit. In his omnibus, ac similibus casibus simoniam confidentialem admissam esse deprehenditur. Hanc sanè pestiferam confidentialis simoniæ labem recentioribus sæculis subortam: detestati fuerunt Pontifices Maximi, præ cæteris Pius V. in constitutione 85., & quoniam illius veluti clanculum, & inter amicos contractæ difficilis esse solet probatio in iudiciis, voluerunt, ejusdem causa semiplenis etiam probationibus reum posse damnari. Præterea ex parte personarum admitti potest simonia, ut modò rem spirituale conferentis simul & accipientis sit turpitudinem, modò tantùm conferentis rem spirituale, cum ex. gr. ipse quid temporale accepit ab extraneo gratia suscepturi sacrum ordinem, aut beneficium de simonia minimè consensit, cap. 59. de elect., cap. 27. de simon., modò tantùm suscipientis rem spirituale, cum ex. gr. rei spiritualis collator nullum lucrum sentit, aut quia pactio fit, ut detur pecunia vel Ecclesie, vel pauperibus, can. 9. caus. 1. quæst. 3., aut quia ignorante collatore rei spiritualis ejusdem administris aliquid erogatur, cap. 1. de simonia; adeo ut etiam simonia dicatur admitti, cum neque concedens, neque recipiens consensit de simonia fuerint, veluti si quis extraneus inscio Clerico donaret aliquid, aut aliquid promitteret ministris Episcopi minimè consensit, ut Episcopum ad concedendum Clerico beneficium adducant: Tunc enim & collatio simoniaca per se foret, & qui aut dederunt, aut promiserunt, aut acceperunt, tanquam simoniaci habendi essent. Utinam hanc in rem ob oculos versaretur terribile exemplum Giezi, de

quo mentio fit in can. 11. & 16. caus. 1. quæst. 1. ex lib. 4. Regum cap. 1., ubi cum Elisæus salutem leproso restituisset, recusato quocumque munere, & Giezi Elisai puer quidquam oblatum accepisset, lepra divinitus percussus est; indicium enim ibidem est divinæ voluntatis, quibus docemur, ministrantes æquè, ac sacrorum dispensatores à simoniæ crimine esse debere poenitens alienos.

Ex parte rei, quæ pretii locum tenet, tripliciter simoniam admitti docuerunt & veteres Patres, & recentiores Pontifices Maximi. Primus id Hieronymus docuit, dum suæ ætatis iam invalescentes abusus dolebat, ita scribens in can. 6. caus. 8. quæst. 1. Num cernimus plures hanc rem beneficium facere (hanc rem, id est, tributionem ecclesiasticorum munerum) ut non querant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesia prodosse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequis delinui, vel pro quibus majorum quisquam rogaverit, & ut deteriora taceam, qui, ut Clerici ferent, muneribus impetrant. Sæculo sexto Gregorius Magnus intuens simoniæ vitium latius grassari, tradidit, simoniam esse, ubi munus præstitum concessioni sacrarum rerum causam daret, & conclusit in can. 114. caus. 1. quæst. 1., aliud esse munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus à manu pecunia est; munus à lingua, favor; munus ab obsequio est subjectio (alii legunt servitus) indebitè impensa. Cur non eadem doctrina confirmanda erat sæculo undecimo, cum primum omnino studium renovatum est ad quamcumque simoniæ speciem ab Ecclesia eliminanda? Præsertim quòd tùm temporis ministeria sacra, quæ onera gravissima per se sunt, nescio an dicam utili, an dulci beneficiorum nomine appellari cœpissent. Urbanus II. in can. 8. caus. 1. quæst. 3. dando munera vel manu, vel obsequio, vel lingua. Manu simonia admittitur, iterum vulgavit doctrinam priscorum Sanctorum docens, simoniam admitti cum pecunia intervenit, cujus nomine

vc-

veniunt quæcumque bona temporalia, can. 6. caus. 1. quæst. 3. Atque id verum est, sive reverà pecunia solvatur, sive solvenda promittatur, sive pecunia debita remittatur; quid enim si cui beneficium conferatur pacto intercedente, ut institutus vel debitum conferenti præsentatè remittat, vel majorem ultra debitam pensionem annuam solvat? Ita res erit, ac si pecunia pro beneficio solvatur, cap. 6. de pactis. A simoniaca etiam labe non erit immunis, qui collatori rei spiritualis gratum se fore profiteatur, spondendo ex. gr. se non futurum ingratum, aut se testando virum honestum esse, atque ab honestorum virorum consuetudine non recessurum. Sunt enim hæc pallia quædam ad obtegendam simoniam, & sub quorum specie dum simonia admittitur, apertè simonia non profertur. Potiore etiam jure simoniacus erit, qui gratum se & factio & muneribus exhibeat post acceptum spirituale munus, quasi in quandam repensationem beneficii donans, nisi fortè & dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus omnem simoniæ suspicionem delere videatur, uti in specie capituli 18. de simonia. Neque à simoniæ vitio erit immunis, qui collatori rei sacræ promiserit, se certas res daturum vel Ecclesie, vel pauperibus, quemadmodum apertè definivit Alexander II. in can. 9. caus. 1. quæst. 3., & Innocentius III. in cap. 34. de simonia. Etsi enim in hac specie rem sacram conferens avaritiæ notam evitet, semper tamen res sacras vendere deprehenditur. Quid verò, si non res temporalis pro spirituali, sed spiritualis pro spirituali tradenda in pactum adducatur? Contingit id, cum ex. gr. collaturus beneficium ad conferendum alicui deveniat, ut institutus alterum beneficium à sui collatione vel electione pendens alicui donet. Id simoniacum esse dicitur in cap. 11. de simonia; quamquam enim non appareat in proposito illa simoniæ turpitudinem, qua spiritualia temporalibus

pendantur, adhuc tamen altera inest turpitudinem, qua creditur, ita de spiritualibus, sicut de temporalibus mercaturam fieri posse. Quamobrem in permutacionibus beneficiorum simoniam etiam admitti arbitror, nisi illa fiant causa à superiore cognita & probata, eaque, in qua Ecclesia potius versetur utilitas, non privatum commodum permutantium, cap. 5. de rer. permutat. Obsequio simonia admittitur, cum res sacræ recipiuntur ob servitiem indebitè impensam, ut ait Gregorius Magnus in dicto can. 114. caus. 1. quæst. 1. uti enim scribit S. Thomas in 2. 2. quæst. 100. art. 5: idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo; ac si daret pro pecunia data, vel promissa, quia illud obsequium estimari posset. Ad rem Petrus Damiani ita nonnullos sui temporis perstringebat, qui à simoniæ labe se immunes jactabant, quòd nullam talenti summam se daturos pro sumendis honoribus pepigissent, scribens in epist. 1. lib. 2. Dic mihi, d. Clerice, quisquis es, si redempto aureo vase, vel pradio, distracto exigeret, ut veneno apud te vice pretii, hujusmodi sibi sedulitatis impendium exhiberes, nunquid non potius modum constanter assereres, te, quod acceptum est, justo pretio comparasse? Non videlicet, quia pecuniam persolvisti, sed quia servitium præbuiti. Dices enim, & fortassis non imprudenter adstrues: curus emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus expendere, quam si senel præfixa quantitas pecuniam numerarem. Nequaquam ergo sibi innocentiam prebeant, & à simoniæ hæreses maculis se mundos esse confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per subjectionis & obsequii quadam quasi talenta persolvunt. Magna sanè in his speciebus cautio opus est, ne facillè divina dona obsequiis pendantur. Agitur de simoniæ vitio, quod utpotè ex avaritia, aut ex ambitu proficiscens facillè invadit mentes hominum: agitur de simoniæ vitio, quod speciosa pallia quærere, & inducere solet. Hanc

Q

ob

Tom. IV.

ob rem vir prudentissimus S. Carolus Mediolanensis in Concilio Mediolanensi 2. in Constitutione adversus simoniacos num. 13. monuit, atque obtestatus est Episcopos, aliosque, quibus jus est beneficia conferendi, ut familiaribus suis certam mercedem constituunt, ne illi hoc subsidio destituti beneficia ecclesiastica tanquam suæ operæ ac laboris pretium præcipuè sibi proponant. Lingua denique admittitur simonia, cum ad favorem alicujus rogantis, ejusdemque captandam gratiam ad rei spiritualis collationem devenitur; qua in re observatione dignum est, ubi agitur de precibus alicujus gratia factis, tum demùm simoniam admittit, cum in concessione juris spiritualis petentis persona, & commendatio attenditur, non verò cum preces ab eo fiunt, qui merita singularia alicujus exhibet Prælato, ut eorum intuitu ad spirituale jus concedendum moveatur, quemadmodum animadvertit Gratianus post canonem 122. caus. 1. quæst. 1. Quòd si exhibitis meritis Prælatum non tam illorum, quàm commendatis gratia jus spirituale concedat, saltem mentalis in ea specie simoniæ reus habebitur.

Ex parte rei spiritualis, quæ pretio æstimatur, simoniam admitti contingit, vel cum res sacræ, vel cum res religiosæ, vel cum res neque sacræ, neque religiosæ sed rebus sacræ, aut religiosæ adnexæ in commercio deducuntur. Nominè rei sacræ intelligo illa, quæ ex natura sua, vel ex divina, vel ex ecclesiastica institutione Deo, & in Dei cultum dedicata sunt, uti sunt Sacramenta, sacramentalia, & alia hujusce generis, quibus proximè accedunt reliquiæ mysteriorum redemptionis nostræ, atque Sanctorum. Nominè rei religiosæ intelligo illa, in quibus pietas exercetur sine consecratione, uti sunt sepultura, professio monastica, & alia hujus generis. Nominè rei neque sacræ, neque religiosæ, sed rebus sacræ aut religiosæ adnexæ illam intelligo, aut sine qua res ipsa spiritualis vel religiosa minimè subsistit, ve-

luti solum in sepultura, oleum in sacra unctione, & similia, aut quæ à spirituali pendet ex sui institutione, veluti præbendales redditus in beneficio, & similia. Itaque in primis nemo dubitat, res ipsas sacræ, vel religiosas in commercium adduci non posse, quòd sanè, ut superius dictum est, vel ipsi æthnici detestati fuerunt, l. 6. 22. 23. & 24. ff. de contrah. empt. Profectò ex jure ecclesiastico sexcenta proferri possent monumenta de rebus sacræ; de professione autem religiosa laudare sufficit canonem 3. caus. 1. quæst. 2., & de sepulturis canonem 12. caus. 13. quæst. 2. Id adeo verum est, ut si res sacræ, vel religiosa vendatur, ne venditio quidem valeat, quo casu res illa sacræ, vel religiosa cæperit profana fieri, l. 8. §. 5. ff. de verb. obligat. At ubi agitur de rebus corporalibus, quæ spiritualibus, vel religiosis coherent, mirum est, quot simoniacorum suffugia prodierint, qui ab omni simonia se immunes esse finxerunt, quoties quod temporale commodum præretaretur, minimè concederetur in pretium rei spiritualis, quæ inæstimabilis est, sed in repensationem rei corporalis adnexæ. Hinc passim nonnulli putarunt, posse vendi non sacrum chrisma, sed oleum, ex quo chrisma confectum est; non templa sacræ, sed cæmæta ac tigna universa, ex quibus erecta sunt aedes; non sepulturam, sed solum, in quo sepulchrum excavatur; non altaria sacræ, sed lapides; non ordines sacros, & sacræ ministeria, sed fructus præbendarum, ac beneficiorum, item pensiones, aut saltem commoda pensionum; non monasticam professionem, sed jus alimentorum, monasteriis percipiendorum; eademque ratione non adscriptio nem in Ecclesia conventuali, sed jus alimentorum ab eadem conventuali Ecclesia suppeditandorum. Addiderunt, saltem admittenda esse pacta transactionum, quæ fiunt inter litigantes de beneficio, in quibus, uti loquuntur Pragmatici, *reddimur vera*, unde ex. gr. fiat, ut cum plu-

plures de beneficio, aut de jure præsentandi contendunt, unus alteri certam rem præstet, ut ipse pacificam beneficium vel juris patronatus possessionem nanciscatur. Adjecerunt aliqui, saltem simoniam non admitti in eo casu, quo quis aliquid præstet non causa juris acquirendi spiritualis, sed causa acquirendæ possessionis, utpotè quæ corporalis est, proptereaque pretio æstimabilis. Nunc ego intelligo, quare Innocentius III. in cap. 32. de simonia scribere non dubitaverit, tantam esse immanitatem hæresis simoniacæ, ut ad ejus computationem cetera crimina quasi pro nihilo reputentur. Jure memorat non simoniæ crimen, sed simoniacam hæresim, de qua tot, tantaque prædicaret. His enim insinuare volebat, simoniacam hæresim, id est varia opinamenta simoniacorum, quibus avaritiam suam multis palliis tegerent, universos ecclesiasticos ordines, ac ministeria omnia sacræ turbare, subvertere, quod scelus immanissimum est, & corpus Ecclesiæ inquinat universum. Reverà si tot opinionum monstra admittantur, æquis res quascumque maximè sacræ à turpi commercio liberabit? si in incorporatis esse, ajebat Chrisostomus homil. 83. in Mattheum, *nuda tibi Deus, & incorporata dona tradidisset; sed quoniam corpori adjunctum spiritum habes, in rebus corporis spiritualia tibi traduntur*. Quicumque ergo spiritualia vendere aut emere voluerit, semper allegare poterit, se non spiritualia ipsa, sed corpus spiritualibus rebus adjectum in commercium adferre. Quid sanctius Eucharistia, quæ ipsum continet Deum? In ea tamen venderetur, & emeretur & panis & vinum Sacramenti materia, suppellectilium usus, adjuncta quæque sacrificii quæ certo pretio constant, ipsum etiam Sacerdotis ministerium, quod sub operæ corporalis specie venit, ab avaris hominibus æstimandum. Hinc irrita essent omnia Ecclesiæ studia, irrita divina mandata, quæ simoniam prohibent, detestantur, horrent, ac puniunt. Quando verò cum iis

res agitur, qui definitiones Ecclesiæ tenere minimè debent, paucis dixerò, jam declaratum fuisse ecclesiasticis sanctionibus, hæc omnia esse simoniæ effugia, ac semper in iis omnibus simoniam admitti. In canone 7. caus. 1. quæst. 3. ita legitur: *Si quis obierit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus despere probatur: nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nulla proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neurum inventum derelinquit*. Urbanus II. in can. 8. eadem causa & questione postquam adnotavit, neque ipsum simoniacorum parentem Simonem magum voluisse emere Spiritum Sanctum propter Spiritum Sanctum, sed ideo, quantum in ipso erat, emere voluisse, ut ex venditione signorum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur, manifestè docuit, simoniam admitti quocumque casu ea vendantur emantur, quæ sacræ ministeria sequuntur. Erant hæc quorundam judicio probabilia argumenta, quibus utebantur simoniaci sæculi undecimi, ut pallio crimen suum obtegerent. In can. 3. caus. 1. quæst. 2. damnati fuere prætextus simoniacorum, quibus dicebant, aliquid accipere se pro pallii datione, pro traditione charitatum, & pro ea, quam nova per ambitionem simulatione invenerat, appellatione pastelli. In canone 4. ead. causa & questione statutum legitimus, ut non solum Episcopus cavere debeat, ne manus impositionem vendat, sed etiam ne notarius Episcopi, aut vocem suam venundet, aut calannum. Alexander III. in cap. 4. de pactis veluti simoniacum improbat pactum, seu transactionem, qua litigantes super Ecclesia, vel cappella sub certa pecuniæ traditione à lite recederent. Clarius in cap. 7. de transactionibus scribit: *Super eo, quod quisvisit, utrum de ecclesiastico beneficio in litigium deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacræ, & religiosa non potest, etenim res sa-*

era ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciem credimus habere simoniae. Alias si gratis, & amicitiositer inter se litigantes se componant, sacris canonibus nequam dicimus obviare. Hujus generis transactionem improbat, etiam Innocentius III. in cap. 21. de præbend., quam profusus est se toleravisse, quia de viris providis, & honestis agebatur, & de ea compositione, quam non litigantes ipsi, sed delegati iudices jubendo fecerant; ita tamen, ut præstatio pecuniæ in transactionem deducta, personalis esset, non beneficium litigiosum sequeretur. Alexander III. in cap. 19. de simonia ne pro *pastu* quidem voluit aliquid præstari posse monasteriis ab iis, qui religionem essent professuri; quod ferè ipsum de admissionibus canonicorum statuit Gregorius IX. in cap. 44. eod. tit. Qui ad redimendam, ut ajunt, vexam putant transigi litem in beneficiis pecunia posse, proferre in medium solent Celestini III. rescriptum in cap. 28. de simonia. Cur verò potius non attendeant ad rescriptum Lucii III. in cap. 23. eod. tit., ubi talia pacta expressè damnantur? At enim proposita species Celestini III. longè distat ab hac disputatione. In primis describendum erit rescriptum, prout jacet in 2. Collectione Decretalium cap. 10. de simonia, aliqua enim menda ex typographorum errato in codicem Gregorianum irreperunt; deinde germana Celestini sententia percipietur. Ita sub nomine Celestini III. scribentis ad Lincon. Episcopum, & Priorem de Fractio-Ponte, & Archidiaconum de Marin. legitur in 2. Collectione: *Dilectus Filius noster R. Præpositus nobis patefecit, quod cum Ve. F. N. G. Eboracensis Archiepiscopus eum multis gravaminibus, & variis injuriis afflicere non cessaret, promissit ei certam quantitatem pecunie se daturum, ut ab ipsis desisteret lesione. Verum Archiepiscopus post receptionem pecunie, eum, sicut promissit, in pace non dimisit, nec super dignitatibus, & beneficiis suis ab ejus molestatione quievit. Ideoque dis. v. per. a. s. m., quat. si res ita se*

habet, Archiepiscopum restituere quod accepit, si eum contra promissionem suam venisse constiterit, auctoritate nostra appellat. rem. compellatis, & prohibeatis etiam ipsum Archiepiscopum ex parte nostra districtius, ne pendente lite Præpositum ipsum, vel suos molestare præsumat, & si forte fecerit, per vestram sollicitudinem corrigatur. In conspectu hujus rescripti liquet, non propositum fuisse Cælestino quæstionem de lite beneficii inter duos agitata, sed potius de lite inter Episcopum, & Præpositum fortè de bonis ad præposituram pertinentibus, in quibus Episcopus quædam Episcopalis mensæ nomine jura sibi vindicabat. Hæc sanè controversia pactionibus, & transactionibus erat obnoxia sine suspitione simoniae; neque enim in ea re temporalia bona veniebant cedenda, causa adquirendi juris spiritualis tantum litigabatur, an quædam bona Ecclesiæ temporalia ad Episcopum, an potius ad Præpositum pertinerent. Quorsum enim agebat Cælestinus, lite pendente Episcopum non posse molestare Præpositum ipsum vel suos, nisi de bonis ageretur, quæ vel à Præposito, vel ab aliis Præpositi nomine possiderentur? Cæterum Celestini III. in cap. 10. de transact. simoniae vitium esse agnovit, ubi subiectio esset data pecunia redimenda. Dicant nunc, qui contrà sentiunt, in illis speciebus temporalia pro temporalibus tradi, vel peti. Ego repono in primis, non in eorum tantum consistere turpitudinem simoniae, quòd temporalibus spiritualia appendi non liceat, sed etiam in eo, quòd concedens bona Ecclesiæ utrum temporalia non concedat ea ratione, quæ ab initio constituta fuit ex Christi præcepto de gratia dando, quòd gratis acceptum est. Reverà non alia fuit aut divina aut ecclesiastica institutio in usu, & administratione jurum utrum temporalium Ecclesiæ, aut bonorum monasterii, quam ut liberè Deo & Ecclesiæ serviantur, non ut illa in quodam sint administratorum commercio; quòd sanè si admitteretur, eequis, uti jam dictum est, res quascumque etiam

ma-

maximè sacras ab eodem commercio liberaret? Deinde licèt redditus præbendales per se spirituales non sint, jus tamen eos percipiendi spirituale dicendum est, & divinum, cum ex spirituali & divino officio proficiatur. Ergo in proposito appendetur jus spirituale proposito temporali pretio, dum pro jure percipiendi redditus temporale quiddam exigatur. Unum adhuc adiciere olim nonnulli consueverant de ecclesiasticis pensionibus, putantes, has saltem in commercium adduci posse, propterea quòd nihil in ipsis adpareat juris spiritualis adnexum. Verùm si observemus in primis, hodie pensiones beneficii esse æquiparatas, sive in ea parte, quòd regulariter Clericis tantum conferantur, sive quòd pensionarii certa spiritualia officia implenda indicantur; si observemus deinde, pensiones semper concedi consuevisse vel personis de Ecclesia benemeritis, ut illis quasi pauperibus Ecclesia consulat; agnoscamus statim, in pensionibus conferendis nihil aliud versari, quam administrationem ac dispensationem ecclesiastici peculii, in qua sicut in rebus profanis nemo potest agere, ne fortè videantur viri ecclesiastici domini esse potius, quam dispensatores. Neque id tantum verum est, ubi pactum sit de constituenda pensione, sed etiam ubi de extinguenda, quemadmodum contingeret, ubi pensionarius remitteret pensionem beneficiario gravato accepta pecunia. Quid enim interest, an data pecunia Clericus pensionem sibi adquirat, an beneficiarius pensionem sibi redimat? Sed non vas fraudes avaritia docuit. Passim Clerici beneficiarii agnoscentes, sine vitio simoniae se non posse redimere pensiones, putarunt, se posse saltem redimere dato pretio commoda pensionum, distinguentes commodum pensionis à pensione ipsa, tanquam jura omninò diversa; etenim in commodo pensionis dixerunt nihil contineri, quòd sit spirituale, vel spiritualibus adnexum. At enim, licèt Pragmatici passim his opinamen-

tis adhæreant, & tutissimum dicant esse temperamentum, quia tamen fraudes non detegit, quando illicè intuetur, mutatis nominibus, aut formulis idem crimen admitti? Eam ob causam Pitonius in disceptatione ecclesiasticæ parte 1. discept. 1. r. num. 5. licèt id fieri posse profiteatur, non potuit tamen id appellare *subterfugium*, & num. 7. ita scripsit: *Quinimò si mihi, quòd sentiam, libere dicere liceat, disjucarem, quòd melius, & honestius foret, prohibere cessionem etiam hujusmodi commoditatum, cum reverè id aliud non sit, quam subterfugium excogitatum ad palliandam simoniam, per quòd licèt strictò jure (id est, propterea quòd istud subterfugium non dum sit expressè in Conciliorum canonibus, & in specie damnatum, est enim hoc pallium recentissimis temporibus contextum) ista locum non habeat, nihilominus negari non valet, quin populo & vulgo sublimitatum hujusmodi ignaro causam præbeat scandalì, observando & videndo ire in commercium publicum, & quasi sub hasta circumferri emptiones & venditiones commoditatis pensionum ecclesiasticarum super beneficiis debitam inter personas etiam laicas lucra causa eam ementes, perinde ac si ageretur de cambiis, & censibus, aliisque redditibus profanis. Quod in his verbis dicitur de causa scandalì respectu vulgi hujusmodi sublimitatum ignari, verius etiam diceretur de causa scandalì in universum, etiam respectu viro- rum eruditissimorum hujusmodi sublimitatum apprime consiorum; norunt enim isti, nihil aliud in his effugis esse, quam sublimitatem inane, simplicitati & candori contrariam, in qua ubi commoda pensionum venduntur, exitu inspecto pensiones ipsæ distrahuntur, quibus in speciebus jure possem vindicare, quòd ait Jureconsultus in l. 91. §. 3. ff. de verb. oblig. plerumque sub auctoritate juris scientia permiosis erratur.*

Nemo mihi succenseat, quasi dum ista traduntur, everti videantur numero plurima ad utilitatem Ecclesiæ, & sacerdotum, & recepta prudentissimè, & sapientissimè constituta. Equidem ego lu-

bens

bens admitto certos esse casus, in quibus aut res sacris ministeriis adjectæ in commercium adduci possint, vel certa pecunia dum sacra administrantur, conferatur, vel certa res sacra profanæ adjecta per venditionem rei profanæ in alios transferatur sine crimine simoniæ. Cùm verò callidis artibus semper nova quædam effugia moliri consueverint simoniaci, jure ac merito ajo, magna prudentia opus esse, ut actus simoniaci à non simoniacis distinguantur; eamque ob rem semper optasse Ecclesiam, ut quibus in casibus suboriri simoniæ suspicio potest, hæc ipsa suspicio, quoad fieri possit, averteretur. Tres ego puto posse constitui generales regulas, quibus certi actus à simonia pœnitens judicentur immunes. Prima regula est, quæ fundamentum habet in jure Romano, quodies res quædam sacra cohæret rebus temporalibus tamquam accessorium principali, non quidem vendi sacram rem posse, sed vendita re temporalis, quæ commercio subest, rem ipsam sacram vi accessionis in emptorem transire. Id contingit in universitate bonorum, cui adhæreat jus patronatus in aliquo beneficio, & cui adhæreat jus singularis sepulchri; neque enim universitas, aut pendet ex jure patronatus, vel sepulchri, neque jus patronatus, aut sepulchri ad se universitatem trahit, & reddit quasi sacram, aut quasi divinam, aut quasi ecclesiasticam. Potius jus patronatus aut sepulchri ad universitatem accedit; proindeque distracta universitate, eandem universitatem sequi jura patronatus ac sepulchri necesse est. Id ipsum dico de Ecclesia prædiali, quæ prædio privati cohæreat; sequitur enim etiam ista prædium, & patronum semper habebit quemcumque prædii possessorem, cap. 7. & 13. de jure patron. juncto argumento l. 24. ff. de contrahen. emptione, & l. 62. ff. de adquir. rer. dom. Sed hæc vera tùm demùm sunt quoties ratiō rei sacræ, vel religiosæ, vel spiritualis, pretium rei temporalis in commercio positæ ac venditæ

non augeatur; tum enim nec res temporalis penditur cum ecclesiastica, religiosa vel sacra, nec qui venditionem facit, aliquid peragit, quo putare deprehendatur, se dominium rerum sacrarum aut religiosarum exercere, nec ita in sacris ac religiosis rebus versatur, ac si profana quæque tractaret; uno verbo nihil admittit, in quo turpitudinis simoniaci existat. Altera regula est, quædam esse temporalia bona, quæ quamquam ecclesiasticis administris fuerint concessa, proindeque à Clericorum administratione pendeant, ita tamen ex voluntate offerentium, atque ex voluntate Ecclesiæ recipientis origine saltem inspecta in commercio permanserunt, ac si temporalia adhuc essent, nec sacris rebus necessariò cohærent. Horum sanè bonorum sine simoniæ vitio venditionem fieri non repugnat, tantùm cautum est ad servandam Ecclesiæ indemnitate, ne temerè seu sine causa, statisque in jure solemnitatibus alienentur. Id contingit in bonis temporalibus, quæ Ecclesiæ donantur, sive ista mobilia sint, sive immobilia. Vendita olim scimus à sanctissimis Antistibus ad alimenta pauperum, & peregrinorum, ad redemptionem captivorum, ad curandam sacrarum ædium restaurationem. Permutata etiam quandoque scimus ad ecclesiarum utilitatem, prout Episcopi id expedire bono publico judicavissent. Deest in hisce casibus quæcumque simoniæ nota; nam in primis non penduntur temporalia spiritualibus; deinde nec videtur, qui alienat, dominium exercere distractendæ rei, quom potius dispensat Ecclesiæ peculium juxta mentem Ecclesiæ, eandemque ob rem non ita se gerit in ecclesiasticis bonis, ac si profana quæque tractaret. Hæc ratio est, quare etiam hodie admitteretur venditio, vel ipsorum sacrarum vasorum, ex. gr. calicum, proptereaquod etiam olim aurei argentei calices ita ab Ecclesia servarentur, ut data occasione per Ecclesiasticos administratos alienari valerent, can. 70. caus. 12. quæst. 2., No-

vel-

vella Justiniani, quæ habetur post canonem 2. caus. 10. quæst. 2. Et quemadmodum in his suppellectilibus licet administratori aliam formam dare, contra quam initio data fuisset, ita licet etiam venditione distrahere, ac si consideretur non consecratio, sed massa argenti vel auri, cui consecratio accesserit ex accidenti, & ad usum sacrarum, dummodò tamen in venditione pretium consecrationis intuitu non augeatur. Postrema regula est, simoniam non admitti in iis casibus, quibus dum sacraministeria obeuntur; Clericis obeuntibus certæ oblationes suppeditantur, vel ex liberalitate fidelium, vel ex obligatione per Ecclesiam inducta, sive expressa lege, sive ex recepta consuetudine, quæ legem inducat. Id facillè percipitur, quoties consideretur, duplicem esse divinam legem, unam præcipientem sacris administris, ut gratis dent, quod gratis acceperunt, alteram jubentem, ut à fidelibus ministri sacrarum alantur. Cùm autem utrique legi satisfaciendum sit, neque una lex collidat alteram, dicendum est, ministros Ecclesiæ ita de oblationibus esse debere sollicitos, ut non tanquam pretium officii illas percipiant, sed tanquam necessitatem sustentationis, aut tanquam pias elemosynas in usus pios conferendas juxta ecclesiasticas institutiones; item fideles offerentes ita adduci oportere ad collationem oblationum, ut in hac debitum alendorum ministrorum agnoscant, non pretium sacrarum, quæ sint suscepturi. Hæc esse debet interna & laicorum, & Clericorum animi affectio, contra quam qui delinqueret, simoniæ saltem mentalis reus diceretur. An verò etiam de reali simonia redarguendus esset, ex pactionibus vel expressis, vel tacitis, item ex singulorum factorum adjunctis judicandum est. En causam, quare passim de simonia non damnantur voluntariæ oblationes, quæ sunt à fidelibus gratia Sacerdotum in suscipiendis quibusdam Sacramentis, aut sacramentalibus, item necessariæ oblatio-

nes, quæ vel lege, vel longa consuetudine inductæ fuerint, veluti in sepulturis, & aliis hujuscæ generis casibus, cap. 10., & 42. de simonia, quamquam tamen in hac re caverint Pontifices, ne dum nimia sollicitudo de oblationibus habebatur, in simoniæ vitium incidatur, cap. 8. 9. 16., & 29. eod. tit. Hinc aliquando certis suadentibus causis opportunum fuit quidquam indulgere, ita tamen ut continerentur agentes intra certos fines, ne plus æquo proveci turpi avaritiæ cedant. Remissius agendum visum est gratia illorum administratorum, quibus exhibendis, aut quorum Ecclesiis tuendis impares, aut vix pares redditus essent, in his enim locum habet divinum præceptum & alendis ministris sacrarum, & de conferendis iis quæ pertinent ad honorem & decus Ecclesiarum. Severius agendum visum fuit cum iis, qui jam redditibus ecclesiasticis affluerent, ne veluti pretium sacrarum oblationes dari viderentur, quæ non tenderent in alendos ministros, & fovendas Ecclesias. Huc pertinet, quod prudentissimè definitivè Concilium Tridentinum in cap. 1. sess. 21. de Reform., ubi postquam statutum est, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, ac testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam spontè oblatum ab Episcopis & aliis ordinum collatoribus, aut eorum ministris accipiendum esse, cautum legimus, ut Notarii in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantùm unius aurei partem accipere possint, dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire possit. Jamdiu veteres canones prohibuerant, ne ministri Episcoporum, ipsi etiam Notarii aliquid caperent occasione ordinationis, can. 4. caus.

caus. 1. quast. 2., cap. 1. de simonia, quod fundamentum habet in sacris literis, in quibus Giezi Elisæi puer lepra percussus est, quod dona accepisset à Naaman Syro ab Elisæo lepra mundato, can. 11. 14. 16. & 23. caus. 1. quast. 1., juxta illud quod legitur in cap. 2. libri 4. Regum. Ut ergo omnis simonia à viris ecclesiasticis in hoc genere abesset, Patres Tridentini vetuerunt generaliter, ne quidquam à Notariis Episcoporum occasione ordinationis acciperetur. Tantùm exceptionem adjecerunt, non laudantes, sed permittentes, eandemque certis snibus coercentes, ubi Notarii Episcopales salario destituti essent, fortè ex inopia mensarum, uti vocant, Episcopaliū; his enim cùm alimenta ex oblationibus danda essent, visum fuit certa ratione occurrendum. Simile exemplum est in eodem Concilio Tridentino sess. 24. de Ref. cap. 14., ubi postquam Tridentini Patres detestati sunt nonnullas consuetudines, quibus simoniacæ labis suspicio inerat, quasdam tamen arbitrio Episcopi probandas reliquerunt, quæ laudabiles viderentur in admissionibus Canonicorum ad præbendas; qualis ex. gr. foret, si moribus receptum probaretur, ut præbendam adeptus aliquid donaret ad Ecclesiæ cultum, & ornamentum. Habet in speciem potius exercendæ obligationis, quæ Beneficiariis imminet ex primigenia institutione beneficiorum, quam simoniacæ præstationis. Cùm enim ex redditibus beneficiorum portio quædam impendenda sit in Ecclesias sertas tectasque tuendas, non improbabile est, admoneri initio præbendarum adquirentes, ut factò suo addiscere incipiant, redditus præbendarum in Ecclesiæ etiam commodum esse convertendos. Scio quidem, nonnullos ex Interpretibus exitisse, qui priori memorato Tridentino decreto in cap. 1. sess. 21. non obtemperantes graviter quidem delinquere tradiderunt, & reos fieri insignis inobedienciæ, interea tamen simoniacos propriè dici non posse, nec pœ-

nis simoniacorum teneri; quemadmodum etiam tradiderunt, simoniacum non esse Episcopum, qui procuraciones in pecunia numerata exigat, licet adversus canonum sanctiones delinquere affirmarent, argumento capituli 1. in fine, & capituli 2. de censibus in 6. Verùm si quis consideret verba ipsa Tridentini decreti, ubi abusus illi & corruptelæ dicuntur *simoniaca pravitate faventes*, ubi etiam inobedientes pœnas à jure inflictas ipso factò incurvere constituitur, statim intelligit, tantquam simoniacos habendos esse, cùm adversus inobedienciæ simpliciter reos nulla sit certa in jure inflicta pœna, quæ ipso factò incurratur; siquidem inobedienciæ crimen admodum generale est, & quoniam in omni delictorum genere admittitur, non æquali in omnibus fuit pœna damnandum.

Ex parte legis, quæ simoniam prohibet, tradunt Pragmatici, aliam esse simoniæ speciem, quæ divino ipso jure damnatur, quod ajunt evenire in commercio rerum merè sacrarum, ac spiritualium; aliam, quæ tantùm ecclesiastico jure improbat, quemadmodum evenire dicunt in pensionibus ecclesiasticis, aut in juribus alimentorum à monasteriis petendorum ex causa monasticæ professionis. Ego sanè hæc discrimina facilè agnoverò, quotiescumque nomine juris ecclesiastici illud intelligatur, quod fundamentum habet in jure ipso divino, non verò quoties intelligatur illud, quod merè positivam constitutionem præferat, & quæ per ecclesiasticas potestates possit eodem modo abrogari, quo fuit constituta. Siquidem censeo simoniæ omnis prohibitionem, illius etiam, quæ in obtinendis pensionibus, aut monasticis alimentis admittitur, ex jure ipso divino, imò & ex ipsa rerum, de quibus agitur, natura derivare. Quod ut explicetur, observandum est, divina præcepta alia esse adeo perpetua, certa, & humano cuiusque actui accommodata, ut nullam interpretationem desiderent; alia verò in gene-

re quidem suo constituta, adhuc tamen latè admodum patentia ita, ut sine speciali designatione Ecclesiæ, ad quam spectat divina oracula interpretari, tutò definire privatus quisquam nequeat species omnes, ad unam usque, in quibus obligent; cujusmodi indicari potest præceptum jejuniæ, orationum, & alia bene multa. Itaque venditio rerum merè sacrarum simoniaca semper habebitur divino jure adeo certo, ut nulla ratio subducere quemquam à generali & certissima regula possit. At venditio temporalium rerum, quæ à sacris pendent, sacrivæ junguntur, uti sunt pensiones item venditio illorum, quæ à religiosa administratione, vel religioso officio profluunt, uti sunt jura alimentorum in monasteriis, generalibus quidem prohibetur divinis regulis, quæ suadent, neminem ita in re ecclesiastica, aut religiosa posse versari, resque easdem ita tractare, quasi res in vulgari commercio positas; verùm interea quis denegabit Ecclesiæ, quominus in certis causarum adjunctis disciplinam paulisper relaxet, seu ex Dei mente non obtinere declaret, non quidem probando factum illorum, qui vellent res religiosas commercio subicere, quod idem esset, ac divinas regulas subvertere, sed probando factum illorum, qui certas res temporales occasione rerum religiosarum conferrent causa quorundam singularium adjunctorum extra cujuscumque commercii causam, ita suadente ipsa rerum religiosarum utilitate? Quid enim ut exempla proferam, si monasterium inops admodum sit, neque aliàs sanctionialibus pressis occurrì posset, quam certarum dotium collatione facta à professoris? Quid si verosimilis capiatur conjectura futurum, ut monasterium, licet sufficientibus redditibus non destitutum, alendis sanctionialibus aliquando impar evadat, nisi identidem subsidiis augeatur? Sunt hæc prudentissima argumenta, quibus utitur Benedictus XIV. in lib. 11. cap. 6. de Sy-

nodo Diocesana, ut demonstret, hodie simoniam non admitti ex dispensatione Ecclesiæ in monialium receptione, ut ut certa dos conferri soleat, adferrens in hanc rem doctrinam S. Thomæ in 2. 2. quast. 3. ad 4. ita scribentis: *Pro ingressu monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere, quasi pretium; licet tamen, si monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum monasterii exhibere; sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in monasterio fuerit, recipienda, si ad hoc non sufficiant monasterii opes.* Quod sanè tantò facilius in monialibus eisdem ex consuetudine non improbata obtinuit, quantò asperior videtur monialium conditio, utpotè quas minimè decet & claustris exire suis necessitatibus consulturas; proptereaque perharò id receptum scimus in Monachis, nunquam in Clericis, quia Monachis alia ratione occurri potest; Clerici autem sacra officia peragentes, si casu quodam bonis destituantur, jure ad primigeniam decimarum, oblationumve petitionem devenient, Deo præcipiente fidelibus, ut sacros, ipsi administratos exhibeant. Hoc ego sensu intelligo Ecclesiæ præcepta, modò simoniæ vitio quasdam pactiones notantis, modò ab eodem vitio absolventis, dum nimirum explicat certas rationes, & causas in quibus generale divinum jus locum habeat, vel non habeat. Itaque quoties gravis emergat causa, quæ non ex avaritia oriatur, non ex voluntate commercium agendi de juribus ecclesiasticis, & religiosis, sed ex honestate, ex æquitate ex necessaria providentiâ; ad superioris ecclesiastici officium pertinebit, aliquid de rigore juris remittere, seu quod idem est, declarare, simoniam locum in certis casibus non habere. Finge ex. gr. Clericum senio, vel agrotatione confectum, qui diu Parochiale officium exercuerit, & Parochiale beneficium possederit, inde sentiens se oneri imparrem esse, pactione adjuncta de certa pensione sibi solvenda, velit beneficium re-

signare, auctoritate Sedis Apostolica id eidem indulgetur; & quidem sine vitio simoniæ, quod id ex fide bona procedat, & pensio sit non quasi pretium resignationis, sed quasi necessaria & opportuna sustentatio illius, qui postquam diu de Ecclesia optimè meruit, sine hac pensione necessariis vitæ subsidiis destitueretur. Cæterùm qui pensiones sine causis hujusce generis emeret, venderet, & in quoddam commercium adduceret, vereretur ego, ne dispensationem ejusdemque superioris auctoritate inanem haberet, quasi sine causa impetratam; quidquid in contrarium nonnulli dicere & certis argumentis demonstrare contendunt, uti notat Fagnanus ad Capitulum *Cum pridem* de pactis, num. 64. & sequentibus, ita subjiciens num. 71: *Ha sunt rationes, quæ potissimum adferuntur pro dicta opinione, si tamen opinio, & non error, dicenda sit, ut verbis utar. Turresemata.* Fungatur ex. gratia, monasterium inops esse, & alendis monachis, vel monialibus impar. Si quædam à professoris adsublevandas monasterii necessitates conferantur, simonia non erit; actus enim ille non tam ex honestate, quam ex necessaria causa fit; at si tale sit monasterium, quod par sit alendis monachis, aut sanctimonialibus, simonia sanè admittetur; cum nulla indicari possit probabilis largitionis causa, quam admissio ipsa in monasterium. Neque enim obstat his tantum positiva quædam lex; secus dicendum foret, posse consuetudine hujusmodi dationes, & pacta probari, quod tamen damnavit Lateranense Concilium in cap. 40. de simonia. Erunt hæc sanè à Prælati Ecclesiæ apprime consideranda; nam si ex. gr. quod majores sunt monasterii redditus, eò major oblatio reposeretur, quis hanc conventionem à simoniæ crimine liberaret, quam non monasterii necessitas licitam reddere potest, & quam repensationem quandam esse juris alimentorum à professuro in monasterio habendorum nemo non videt? Neque verò mihi placet doctrina

illorum; qui tradunt, inspecta professionis natura nullam simoniam admitti, exemplo dotis, quæ sine simoniæ vitio datur in contractu matrimonii, quod Sacramentum est; quod exemplum accommodatissimum esse putant, quia in professione religiosa quoddam spirituale conjugium constituerunt. Si hæc subsistant, cur non æquè admittent, solo jure positivo humano prohibitum, ne Episcopi dum ad Episcopatum adsumuntur, aliquid conferant etiam in initio pacto, quando sciunt in Episcopatu quoddam spirituale iniri conjugium juxta doctrinam Innocentii III. in cap. 2. de traslat. Episc. Cur tanta sollicitudo Ecclesiæ in damnandis sanctimonialium collationibus, adeo, ut quæcumque etiam consueverit improbetur, dicto cap. 40. de simonia, quando nunquam Ecclesiæ quidquam constituere potuit, ac debuit, ne dotes à nuptiis puellis constituantur? Inest quidem matrimonio Sacramenti dignitas, sed hæc contractui sanctificando accedit; propterea que dos nubentis natura sua confertur in onera familiaria, quæ conjugii contractus, non Sacramentum induxit. At religiosa professio principalis ipsa est, quæ quoniam professum perpetuò addicit monasterio, ita eundem securum reddit de alimentis in monasterio percipiendis; atque ob hanc causam prudentissimè statuit Tridentinum Concilium in sess. 25. de Regular. cap. 3., ne plures moniales in Conobis admittantur, quam ferant monasteriis redditus, aut obventiones, quæ sanè cautio opportuna videbatur ad averrendos prætextus dotium conferendarum in fraudem legis. Pœna adversus simoniacos non eadem & omni tempore, & in unaquaque specie indicta fuerunt. Quam mentalis simonia est, pœnis ecclesiasticis in foro externo nullus est locus, quamquam gravissimè à Deo atrocis criminis vindicæ sint expectandæ, cap. 34., & ult. de simonia. Quum verò realis simonia est, distinguere oportet, an crimen in occulto delitescat, an in judi-

cium

cium deductum fuerit, ac juxta formam judicii comprobatum. Si in occulto delitescat, nihilominus habebunt locum pœnæ illæ, quæ ipso jure dicuntur inflictæ, id est vi ac potestate legis, sine ullo judicis ministerio. Si in judicium deductum fuerit, ac comprobatum, præter pœnas potestate juris inflictas, certæ supersunt agenda apud judicem partes, quibus juris præceptiones ipse gravi officio suo exequatur. Ex pœnis quæ ipso jure infliguntur; seu vi ac potestate legis, quæque locum habent, sive occultum sit, sive publicum crimen, est in primis, ut gesta simoniaca tanquam irrita habeantur, ex. g. Sacramenti collatio non sortiatur effectum in ea parte, qua spiritualis jurisdictionis, ac facultas exercendi ordinis ex Sacramento ritè collato acquireretur; irrita est omni parte sit electio, presentatio, institutio in beneficiis, in quibus propterea nullum omnino jus acquirit electus, presentatus, institutus, nec legitimam fructuum beneficiariorum administrationem, can. 1. caus. 8. quæst. 3. Exceptio est in simoniaca religiosa professione, quæ semper professum obligat, ne simoniacus causa sui criminis onere semel imposito liberetur; tantum simoniaci odio cautum est, ut cum crimen in judicium deductum fuerit, ac probatum, ille sit austeriori discipline in archiepo monasterio subjiciendus, cap. 9. 25. 30. & 40. de simonia. Altera pœna ipso jure inflicta est nota infamiae, l. 31. in fine cod. de Episc. & Cler., can. 8. 9. 10. 99. 100. 124. caus. 1. quæst. 1., can. 2. 3. caus. 1. quæst. 3., can. 4. caus. 15. quæst. 3., cap. 17. de simonia. Quamobrem ex canonum disciplina simoniacum irregularem esse statuitur, seu minus idoneum ad suscipiendos quoscumque ordines, beneficia, & officia, can. 5. dist. 24., can. 3. caus. 7. quæst. 1., cap. 2. de statu Monach., cap. 21. de accusation., cap. 35. & 37. de simonia. Neminè sanè negotium facessat canon 3.

caus. 1. quæst. 5., ubi videtur tantum adversus simoniacum statui ut *ab Ecclesia officio suspendatur*; etenim hæc formula *suspensionis* de regularitate intelligenda est, ut cum aliis canonibus consonet; præsertim quòd apud veteres nondum prodierat adeo aperta ea distinctio censurarum, & pœnarum, qualis decimotertio sæculo recipi cepit, quemadmodum in fine hujus tractationis observabitur. Imò potest illa suspensio intelligi de depositione, quæ solet subsequi irregularitatem, quemadmodum apud veteres in usu erat hæc formula, juxta quam quæ generaliter suspendi ab Ecclesiæ officio dicebatur, is erat ab officio deponendus, ut infra etiam adnotandum erit, ubi agetur de sententia depositionis; argumento canonis 3. caus. 1. quæst. 5., ubi depositio & suspensio promiscuè sumuntur. Grassabatur temporibus Gregorii VII., qui auctor est illius canonis, simoniæ vitium; & quando ob delinquentium numerum simoniaci irregularitatem ipso jure, & ex sententia canonum inflictam contemnebant, voluit prudentissimus Pontifex, ut illi sententia judicis ab officiis Ecclesiæ segregarentur, in quo nihil aliud statuebatur, quam ut canones irregularitatem incidentes executioni demandarentur. Reverè etiam suspendendus erat ab officiis Ecclesiæ quicumque esset de simonia accusatus, aut suspectus, licet crimen necdum probatum fuisset, can. 14. caus. 2. quæst. 5., cap. 4. & 5. de simon., nec verosimile est, postea convictione de simonia, aut confessum non ulteriore pœna damnari. Simili modo interpretari oportet capitulum 19. de simonia, ubi Abbas, & monachi simoniaci suspendendi dicuntur ab officii executione; neque enim suspensio illa tempore circumscribitur, quando definitur Abbatem simoniacum esse in aliud monasterium transferendum ad agenda pœnitentiam, ac propterea nomine suspensionis in eo rescripto vera, & propria depositio intelligitur; quod magis

magisque comprobatur ex cap. 30. eod. tit. ubi aperte definitur, in crimine simoniae per accusationem in iudicium deductio, canonice severitatis exercendam esse ultionem, quamquam si ab inquisitione iudicium coeperit, sola sit indicenda suspensio à sacrarum ordinum executione, donec impleta fuerit gravis poenitentia, idque ex humanitate quadam & indulgentia singulari ob magnam delinquentium multitudinem. Notatu dignum est, verba illa capituli 19. de simonia ab officii executione suspendens, non haberi in 2. Collectione Decretalium in cap. 1. de simonia; quorum loco ista leguntur ab officio Sacerdotali suspendas. Fateor tamen, hodie aliud videri Pragmaticis numero pluribus, qui poenam hanc irregularitatis moribus abolitam esse scripserunt. Ceterum proflixit recens ista traditio ex prava interpretatione extravagantis 2. de simonia int. com., in qua cum poenae adversus simoniacos latae recensentur, de irregularitate factam mentionem expressam non inveniunt. Ego sane nihil novi in hac parte constitutum fuisse video, cum ibidem expressè legatur, veterem canonum censuram confirmari, ac renovari. Tertia poena ipso iure indicta est, ut simoniacus subiaceat poenae excommunicationis; à qua non nisi à Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi valeat, can. 12. 22. caus. 1. quæst. 1. cap. 38. de simon., dicta extravag. in vers. Statuentes. Excipe casum, quo aut Capitulum, aut Monasterium simoniam admitteret; etenim Capitula; aut Monasteria poena tantum suspensionis coercentur, extrav. 1. de simon. int. com.; item easum, quo Episcopus Clericum ordinaturus sine titulo promiserit, se annuam pensionem quasi tituli loco daturum, & deinde pactus fuerit, non aliter se devenire ad ordinationem velle, quam si pensio ab ordinato non exigatur, quemadmodum intelligo capitulum 45. de simonia, in qua specie ordinator à collatione, præ-

sentator ab executione ordinum per triduum; & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec à Sede Apostolica dispensatio obtineatur, suspensionem incurrunr. Quòd si in iudicium deductum fuerit simoniae crimen; iudicis partes expotissimum erunt, ut interea reum de simonia suspectum ab officio, beneficio, & ordinaris suscepti executione suspendat, cap. 4. & 5. de simonia; convictum autem, aut quomodocumque damnatum, à gradu suo deponat, ad restitutionem præceptorum beneficii fructuum adigat, eisque poenis reum obnoxium esse pronuntiet, quas modò diximus ex iure imminere; nam modò dicitur simoniacus carere ecclesiastica dignitate, can. 5. dist. 24., can. 9. & 10. caus. 1. quæst. 1., can. 4. caus. 15. quæst. 3., cap. 20. de simonia, modò subjacere periculo proprii gradus, can. 8. 99. 124. caus. 1. quæst. 1., can. 1. caus. 8. quæst. 3.; modò cadere à Sacerdotio, can. 2. caus. 1. quæst. 7., modò deponi, can. 100. caus. 1. quæst. 1., can. 3. 33. caus. 7. quæst. 1., cap. 2. de confessis, cap. 2. 11. & 13; de simonia, modò perpetua mulctari damnatione, can. 2. caus. 1. quæst. 3., modò recipientem sacra ad sacros ordines non ascendere, & cedentem suspensione à potestate, seu, quod in proposito idem est, depositione mulctari; unde Tridentinum Concilium in cap. 18. sess. 24. de Reform., postquam examinatores Synodales aliquid occasione examinis recipientes simoniacos esse declaravit, adiecit, non posse eos à simonia absolvi, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddi. Item pro qualitate adjunctorum ulterius procedere iudex poterit, jubendo ex. gr. ut simoniacus in monasterium detradatur, can. 7. caus. 1. quæst. 1., vel ut accepti duplum, aut quadruplum luat, can. 7. dist. 18., can. 26. caus. 1. quæst. 7., cap. 41. in fine de simonia. Ex his facillè intelligitur, quare Prælati, qui aliquando

si-

simoniam admiserunt, sacrorum ordinum collatione interdictum fuerit, cum decretum sciamus, effectu suo carere sacram ordinationem, qui, ut non simoniace, à simoniacis tamen facta fuerit, vix, & ex quadam dispensatione officia admissis ordinatis, quæ à simoniaco ex ignorantia ordines susceperunt, can. 108. & 109. caus. 1. quæst. 1.

Quoniam verò à tribus personarum generibus admitti simonia potest, primum ab eo, qui rem spirituales tradit, secundo ab eo, qui rem spirituales accipit, tertio ab extraneis, iure quaeritur, an memoratæ poenae locum habeant, etiam si non omnes criminis conscii fuerint, sed unus ex ipsis ignoraverit? Quid enim, si extraneus quisquam ignorante Clerico beneficium suscepturo aliquid donet Prælato? Quid si beneficium suscepturus aliquid donet extraneo, ut probum Prælatum facilem concedendo beneficium reddat? Distinguere oportet inter poenam, qua gesta per simoniam irrita fiunt, & alias poenas, quæ vel vergunt in spirituale animæ detrimentum, vel turpem notam incurrunt. Si de poena quaeratur, qua quod gestum est per simoniam, irritum fit, ista nihilominus locum inveniet, non quasi poena adversus ignorantem lata, sed quasi vitium intime adhaerens gestis, quod propterea gesta ipsa deturpat, & everit, can. 3. caus. 1. quæst. 5. Hinc innoxius salubre consilium capiet, quo statim ac alienum dolum compertum habuit, beneficium, quod ex aliena simonia suscipit, spontè dimittat, spe concepta futurum, ut nova collatione dimissum beneficium consequatur, can. 1. caus. 1. quæst. 5., cap. 59. de electione, cap. 26. de simonia. Excipe tamen easum, quo pecunia ab extraneo daretur in fraudem beneficiarii, non ad eum finem ut quis beneficium consequeretur, sed potius ut beneficium simoniace adepti non potiretur. Finge speciem. Clericus ad certum beneficium aspirans, cum conjiciat, collatorem beneficii velle benefi-

cium conferre Titio, pecuniam tradit, ut beneficium Titio conferatur, non quidem animo Titio favendi, sed animo proclamandi simoniacam ac propterea irritam collationem, ut deinde ipse beneficium consequatur. Valida tunc erit collatio, quemadmodum definitur in cap. 27. de simonia, quò etiam pertinet capitulum 33. eod. tit., in quo definitur, electum, qui Abbatiam ex aliena simonia susceperat, non quidem ex simonia à personis necessitudine conjunctis admissa, sed ab extraneis, quorum respectu fraudis suspicio suboriri poterat, præsertim quòd electus expressè prohibuerat, ne quidquam concederetur, rite Abbatia potiri. Idipsum evenire putò ea in specie, qua pacto inter duos extraneos inita fuisset, pactò inter extraneum, & patronum nominantem, ignorante, aut repugnante eo, qui beneficium à probò Episcopo, & simoniae non conscio suscipit. Etenim hac in specie cum patronus cadat abs jure nominandi saltem pro ea vice, collatio beneficii censetur liberè facta ab Episcopo gratia Clerici, ac si simoniaca patroni nominatio minime attendatur. Quòd si agatur de poenis, quæ vergant in spirituale animæ detrimentum, qualis est excommunicatio; aut de poenis, quæ turpem notam incurrunt, qualis est infamia, & irregularitas; istæ non habebunt locum respectu ignorantis, cum nemo innoxius ex alieno facto puniatur.

Ut dispensatio à poenis, quibus simoniaci subjacent in causis susceptorum ordinum, & beneficiorum, obtineatur, olim simoniaci consueverant ad Sedem Apostolicam confugere, can. 1. & 2. caus. 1. quæst. 5., unde paulatim factum est, ut dispensandi facultas ab Episcopis auferretur, cap. 27. & 45. de simonia, extravag. 1. & 2. eod. tit. int. com. Hinc hodie & dispensatio ab irregularitate, & dispensatio ab interdicto retinendi beneficii, vel exercendi officii sacri adnexi ordini à Sede Aposto-

li-

lica petenda est, sive in Romana Pœnitentiaria, cum occultum est crimen, sive in Romana Dataria, cum est manifestum. Tantum duæ species à sacris canonibus probantur, in quibus sufficiat Episcopi dispensatio. Prima est, cum Clericus non Prælaturam, sed simplex beneficium ignorans simoniam ab eligentibus, vel patronis admissam obtinuerit, can. 3. caus. 1. quæst. 5., cap. 59. de electione. Altera est singularis quoad irregularitatem, quam simoniacus contraxit. Si enim occultum crimen fuerit, poterit ab ea nota Episcopus dispensare juxta disciplinam in Concilio Tridentino probatam, sess. 24. de Reformat. cap. 6., non quidem ut beneficia per simoniam obtenta retineat Clericus, sed ut ad sacros ordines promovatur, cum aliud sit, irregularitatis delicti notam, aliud collationem, quæ ab initio irrita fuerit, confirmari. Id tamen intellige dummodò in neutra specie conscius simoniæ Episcopus ipse fuerit, argumento cap. 5. de Clericis conjugatis, & cap. 8. de tempor. ordinat.

Nonnulla adhuc observanda supersunt in crimine simoniæ in judicium deducendo, quæ sanè singularia criminis odio statuta sunt, non tam ob ejusdem gravitatem, quam ut facilius, & pressius damnentur simoniaci, quorum fraudibus fieri solet, ne crimen in jure probetur. Tot tantaque suffugia identidem invenerunt simoniaci, ut vix sperandum esset sacra ministeria gratis suscipi, aut conferri, quemadmodum fuit superius observandum. Atque hoc sensu in can. 27. caus. 1. quæst. 7. simoniaci dicuntur veluti primi, & præcipui hæretici ab omnibus fidelibus respiciendi, & omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputari; quæ verba licèt non legantur

inter monumenta Paschalis Pape, cui perperam tribuuntur, tamen usurpata fuerunt ab Innocentio III. in cap. 32. de simonia. Igitur primùm obtinet, ut unusquisque teneatur simoniacos denuntiare, extravag. 2. in fine de simon. int. com. Deinde obtinet, ut etiam infames, non tamen hæretici, accusare de eo crimine possint, servi etiam adversus dominum, monachi adversus Abbatem, parochiani adversus Parochum sine discrimine admittantur, nec alia accusato prodesse possit exceptio, nisi quòd accusator animo calumniandi ad judicium venerit, cap. 3. 7. 31. de simonia, imò & admittatur conscius, & confessor criminis ad denuntiandum proposita spe veniæ facillioris, can. 2. dist. 79, dicta extravag. 2., argumento can. 22. caus. 6. quæst. 1. in fine. Præterea quod de accusatoribus dicitur, idipsum statutum de testibus fuit, omnibus etiam gravium criminum reis admissis, nisi de calumnia suspecti sint, cap. 3. 32. de simon., aut nisi ejusdem, de quo testificantur, criminis rei esse probentur, cap. 10. de testibus. Insuper non requiritur, ut probationes liquidæ omnino, ac manifestæ sint, sed sufficiunt certa signa, quæ prudentis judicis animum movere possint, cap. 6. & 13. de simon. Quoniam verò in hoc judicio, quod merè ecclesiasticum est, & civiliter, & criminaliter agi potest, civiliter ad arcendum beneficiarium ab administratione, criminaliter ad simoniacum à beneficio, & ordine deponendum, notandum est, hunc juris rigorem habere tantum locum, cum civiliter agitur; nam si criminaliter ad pœnam depositionis agatur, ob majorem pœnæ asperitatem, ordinaria servandæ sunt judiciorum regulæ, ac solemnitates, dicto cap. 32. de simonia.

CAPUT III.

De spreto cultu Sanctorum.

Huc referendus est titulus 45. libri 3.

DOgma est Catholice fidei, singulari cultu in Ecclesia prosequendos esse, quorum animæ justæ in cœlesti Patria cum Christo feliciter regnant, non sanè quòd in hac parte Christiana pietas veterum gentium apothecis imitata fuerit, cujus vi nonnullis, quos vel Semideos, vel Semones, quasi semihomines appellabant, divini honores decernebantur; semper enim Ecclesia docuit, & unum esse Deum, & nonnisi unum uti Deum esse colendum; sed quòd divinæ gloriæ participes illi sint, & possint apud Deum pro nobis adhuc peregrinis & militantibus intercedere, Concil. Trident. sess. 25. in decreto de invocatione Sanctorum. Primis Ecclesiæ sæculis apud fideles coli consueverunt post B. Mariam, cui sanè tantquam Deiparæ singulare obsequium debebatur, ii omnes, quorum in sacris literis probata vita constantissimè fuit, inter cæteros Joannes Præcursor; atque ii statim accesserunt, quotquot fuerunt martyrii gloria illustres, ac præ primis Apostoli universi, ac viri Apostolici, qualis erat Protomartyr Stephanus, qui post Christum, ac pro Christo obierunt. Martyrum erant tria veluti genera, quorum alii Professores, alii Confessores, alii generali nomine Martyres appellabantur. Professores vocabantur, qui non interpellati se palàm Christianos asserebant, spontè sese supplicii offerentes, Confessorum nomine donabantur ii, qui interpellati Christianos se constanti animo dixerant, & mortem pro Christi fide oppetierant. Martyres generali nomine dicebantur ii, qui atroces quidem perperis fuerant pro Chris-

to cruciatus, à quibus tamen superstitè evaserunt, vita deinde functi, dum pace Ecclesia frueretur; atque de hoc Martyrum genere frequentissima mentio est apud S. Cyprianum. Præterea Martyres cujuscumque generis essent, modò dicebantur *designati*, contra quos scilicet lata fuerat sententia, nondum executioni mandata; modò *consummati*, seu *coronati*, qui gloriosè pro Christo occubuerant; modò *vindicati*, quibus decreto Ecclesiæ jam Martyrum cultus exhibebatur. Paulò recentior fuit cultus in Ecclesia præstitus viris justis, qui non martyrio & fidem, & charitatem in Deum, sed insigni virtutum professione ad finem usque vitæ exhibita testati sunt, quos Confessores posterior ætas appellavit, cap. un. de reliq. & ven. Sancti. Nimirum cultum istum publicum quarto primum sæculo inolevisse, eruditi viri tradiderunt; quo primùm tempore orationes aliquot ita concipiebantur, ut earum formula dubia admodum videretur, an pro Sanctis illis Ecclesia oraret Deum, an potius Ecclesia pro fidelibus oraret, interposita eorumdem Sanctorum intercessione. Refert Innocentius III. in cap. 6. s. ult. de celebrat. Missar., in secreta B. Leonis II. juxta antiquiores codices ita orari in Ecclesia consuevisse: *Annuè nobis, Domine, ut animo famuli tui Leonis hac præsit oblatio*, quando in recentibus illius temporis Sacramentariis immutata fuit orandi formula his verbis: *Annuè nobis, quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hac nobis prois oblatio*. Imò & subjicit Innocentius, in plerisque orationibus contineri: *prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam & hono-*